Quelle: https://manuscripta.at/?ID=31292
Copyright: Stams, Zisterzienserkloster



57

Dixi idest statui et proposui firmiter in corde meo custodire vias meas actiones meas tali diligencia ut et lingua mea non offendam loquendo fatua et otiosa verba aut generaliter que locutum me fuisse penitereret

Vt non delinquam Posui ori meo custodiam cautelam in loquendo ut eam statuerim a bonis silere et a peccatore abstinere et hoc cum consisteret peccator ut hereticus uel reprobus aduersum me querens vnde ex verbis meis calumpniam possit efficere

Posui custodiam ori meo usque adeo quod Obmutui volens uitare contentionem cum peccatoribus impugnantibus me sed afflictus sum quia propter hoc silui a bonis eminentibus hominibus desiderantibus veritatem audire vnde dolor meus renouatus est prius dolui de indiscreta locutione modo doleo de indiscreta taciturnitate

ad eminendum

Verum videns hinc inde pericula Inquietus est factus cor meum et in hac fluctuatione tacendi inter calumpniosos et loquendi inter audire paratos concitatus est calor in corde meo ad loquendum amore proximorum

Inter has difficultates querens locum ubi hec non patior Locutus sum deo meo in lingua mea toto corde et ore eum deprecando notum fac michi finem meum xpm qui est finis noster consummato in preti ad iusticiam et in futuro ad coronam Ibi enim gaudebo de socio non timebo de aduersario ibi enim contemplator meum erit amicus non calumpniator inimicus

Et numerum dierum meorum quo in hoc mundo me viuere decreuisti ostende michi quis est .v. quantum superest ut sciam quid desit michi de tue vite mee

Ideo autem vellem scire numerum dierum meorum quia breuis est uita mea vnde Denisurabiles s. breues et transitorios